



Full. 25-8

MARCELLI SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI
clarissimo Nepoti,

MONTIS POLITIANI NOBILISSIMO CIVI,
SOCIETATIS JESU ORNATISSIMO ALUMNO,

LOVANIENSIS ACADEMIÆ CELEBRATISSIMO DOCTORI,

PROVINCIAE NEAPOLIS VIGILANTISSIMO PRÆFECTO,

Capuanæ Urbis meritissimo Archiepiscopo,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIAE AMPLISSIMO CARDINALI,

VENERABILI ROBERTO
BELLARMINO,

Theses ex Sacra Scriptura depromptas,

NOMINE,

qui præerit illis,



Doct. D. MICHAËLIS ANTONII DE MONTESA
Piñeiro, Canonici Lectoralis Apostolicæ Metropolitanæ
Ecclesiæ Jacobææ, & in Academia Compostellana
divinarum Litterarum Interpretis,

*Offert demisso, humili, reverentique animo
in æternum amoris sui monumentum,*

D. PAULUS JOSEPH CAO, ET CORDIDO,
qui, ut moris est, sedebit propugnaturus.

COMPOSTELLÆ:

Ex Prælo Ignatii Aguayo & Aldemunde, Typographi
ejusdem Sanctæ Ecclesiæ.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE SANTIAGO



00240986



Interrogant delicata voce, supercilio
erecto , VENERABILIS
BELLARMINI, interrogant
homines circumforanei quam ob
causam Biblicas hasce Theses tibi

non dùm in Album Sanctorum relato nuncupare discupierim.
Verùm in quanta rerum ignoratione versentur qui cruditates
id genus ructant, satis evincet illud græcicum factum, quod
Scriptores non sublestæ fidei oïm memoriæ prodiderunt. Fe-
runt Juvenem qui Athenis haud indisertam tragædiam concin-
naverat, & cujus frontem Sophoclis nomine insigni erat, à quo-
dam Sene gravitèr fuisse reprehensum, quod relicto Pericle
posito inter Heroas duce tùm domi, tùm foris claro, suam or-
nare opellam malluisset uno Sophocle homine obscuro, qui
fortunâ potiùs, quam consilio cum Athenarum hostes aliquan-
do protrivisset, non tantum gloriæ, quantum dedecoris com-
paraverat Reipublicæ. Cui adolescentem falsè, & ingeniosè di-
citur sic respondisse: *Insigniores Duces inter Pericles meritò nume-
retur, vincat, tonet in concionibus, fulmina ciat; sed quod animum
meum relaxet nihil admodum scripti reliquit. Atqui Sophocles mollif-
sima carminum dulcedine memorabilis præter fabulas scripsit Ele-
giam, & Pæanas. Exquisitis jam pridem illaqueatus, & propè di-
vinis sententijs recentem dumtaxat lebeo dicare tragædiam homini, qui
materiam penè omnem mea lucubratiuncula, & si quis est, tribuit
splendorem.* En factò, dictoque græco tempestivè prolato spon-
tè referantur, ultrò panduntur omnes mei consilij rationes, quæ
illis pro humani ingenii cura plus nimis sollicitis quantulam-
cunque dubitationem debent eximere. Duo supra decem anni,

CL.A.

CLARISSIME ROBERTE ; certissimè interfluxerunt à tempore quo (priùs emensa Theologia de Schola , quæ tantò cæteris facultatibus antestat , quanto divina humanis , immortalia caducis , æterna nativis antecellunt) in tuas incidi lectissimas lucubrationes , quas legi , percurri tanta animi aviditate , tanto mentis studio , & tanta meatum virium contentione , ut nunquam de manibus deponendas , & vel dies ac noctes illarum lectioni esse defuturas non inaniter suspicarer. Ephebus inter disputandum Zenonis Eleatis more , qui diserens in utramque partem bilinguis appellatus est , audieram te publici juris fecisse quosdam libros , qui non solùm Christianam ditionem solidissimè præmunierant , verum etiam illius terminos mirificè ampliavèrant. Audieram tuorum doctrinam librorum ex omnium Patrum , Conciliorum , & totius venerandæ antiquitatis limpidissimis fluentis derivatam tamquam veram morum Magistram , vitiorum expultricem , animorum liberatricem , hominum mentes depravatas opinionibus impurissimis interpolasse ; Ecclesiæ leges , sacra , ritus , cæremonias redintegrasse ; clericalem , monasticam , & moralem disciplinam jam ferè inter mortuam quasi ad vitam revocasse ; schismata , hæreses , & alia monstra generis ejusdem prorsus præfocavisse. Hæc audieram. Verùm herclè verò ut infirmam ætutulæ ineuntis tenebratatem robur adolescentiæ excepit , visum est mihi contigisse quod Argonautarum plerisque quondam evenisse sapienter Poetæ cecinerunt. Multa Jason , Castor , Pollux , & reliqui ejusdem sodalitatis audierant de Orpheo , cantu , lyra , quæ postea Deorum beneficio in Cælum assumpta est. Tanti vatis Divorum interpretis æquissima meritorum existimatio Argonautas impulit ut eum navigandi cupidum in illam secum afferrent Insulam , quæ ab amœnitate , florumque copia nomen invenerat. Quam dùm secundis ventis præternavigant , animadvertunt ingens periculum esse , nè molli , ac delicato Sirenium cantu , quæ Colchidem incolebant , in vada , & scopulos deducerentur. Clamant , quærunt Orpheum , qui assidens in puppi blandis digitis extemplò lyram impellit , simulque explicat eam vocem , quæ antehac nemora , saxaque moverat , & feras reddiderat humaniores. Hic audientium animos incredibilem voluptate perfundit : hic Sirenium vocibus navigantium neminem moveri : hic studio , & operâ Lyricenis vellus aureum vehere securus : hic quasi extra se positos comprobare quæ ante navigationem de

Orphei mēlos audierant: hic facta Vatis superare famam non
 ad exigui temporis prædicationem, sed ad recordationem sem-
 piternam constituta. Attamen ut eo redeam unde me sua-
 vissimi Orphei mentio paulisper abduxit, dicere profecto de-
 beo, **AMPLISSIME CARDINALIS**, tuos me li-
 bros percurrentem attonitum stupuisse, stupefactum hæsisse, &
 hærentem tamquam unum de Argonautis in me omneis sen-
 sus revocavisse. Hiccine, dicebam, Bellatminus, cujus in scri-
 bendo modestia, & gravitas, & pietas, & prudentia sole-
 bant affatim ornari omnibus laudum officiis? Hicce nè li-
 bri, qui non tam benè dicendi, quàm bene vivendi vias ape-
 riunt, & quadam titillatione honestissimæ voluptatis alli-
 ciunt studiosos, erudiunt balbatientes, roborant meticulosos,
 excitantque pigros? Hoccine Opus, cujus Placita honesta sunt,
 sobria, sana; cujus probationes solidæ, firmæ, robustæ; cujus
 stylus venustus, dilucidus, masculus; cujus ordo non elumbis,
 non præceps, non tortuosus? Deus immortalis! Verè jejunè,
 verè parcè, verè avare homines hucusque volumina tanti præ-
 tii posteris commendarant. Sic tacitus mihi dicebam adamussim
 percallenti res ipsas vulgarem auram transcendere, & nihil in
 suo genere pulchrius, nihil illecebrosius, nihil sublimius, ni-
 hil fructuosius unquam exaratum fuisse, ac idcirco facillè quem-
 piam studio huic intentum aureum vellus, id est, omnium vir-
 tutum gazophylacium cum immortalitate jungendum in-
 portum, neglectis coribus, & vadis, tuto esse transportatum.
 At verò tua Opera omni genere laudum amplissimarum ipse lu-
 bens prosequendo, nollem hoc loco aliquis temere suspiceret
 me tuis de scriptis promiscuè, atque indistinctè verba fundere.
 Equidem non tam tardus, & hebes sum, ut nesciam te præ
 commississe librum de Scriptoribus Ecclesiasticis quem prosus
 absolutum prodiisse vel illud indicio est illum laudavisse tuo-
 rum hostium perulantissimum Joannem Launoium lingua,
 calamo, religione Cynicum. Non quoque me later tum in
 Psalmos commentarium sententia Benedictini Calmet unctione,
 pietate verè eximium, tum alia plura opuscula Ascetica à te fuis-
 se elucubrata, quæ ecclesiasticam apothecosim promereri ultro-
 citroque fassus est Lamindus Pritanius. Quas ob res sentio nul-
 lateus hominem requiri similem cani veratico, qui, ut lepo-
 rem, quem urget fervidas, & insequitur, apprehendat, an-
 tra ingreditur, cavernas explorat, omnia odoratur; siquidem
 qui-

quilibet mediocriter emunctus potest olfacere, me de illis facti non tam aureis, quam Cælo ipso, undè dilapsi videntur, planè dignis Libris de *Controversijs*; quos semper fuisse in prima commendatione apud quosque sapientissimos, ut & tenerentur assidue manibus, & à multis etiam ad verbum ediscerentur, nullus dubitet. Quippe cum in convictu, & in contubernio hominum locatus doctissimorum, longo usu studiorum, & rerum tractatione maximarum immensam tibi quandam vim sapientiæ, ac prudentiæ comparasses, quidquid succi, & sanguinis per plura corpora, seu volumina veluti sparsum inveneras, in unum feliciter collegisti, quod firmis compagibus solidatum ipsam conquassatam quaquaversus Christi Ecclesiam quasi sustinuit, suffulcit, convallavit. Hinc non subit mirari hosce tuos libros omnium Europæ virorum judicium subituros Alpes confestim transvolando somniculosos Danubii Incolas experrexisse, Tamari commovisse, Rheni excussisse, Mosæque tandem concitasse. Vos Germanos, Anglos, Gallos*, Hollandos, & quos vel nutrit Oceani Septentrionalis peninsula Dania, vel quondam Romæ domina superba Gothia alit, hic appello, obtestorque; nec vos pigeat obsecro, & quo ad possum, obsecro palam dicere, & serè confiteri quanta fuerit cogitationum vestrarum tumultuatio, quanta consiliorum perturbatio, quanta animi ægrotudo, cum ad vestras manus inopinè pervenerunt Bellarmini lucubrationes. De vestro Evangelio, si Superis placet, reformato penitus actum esse non conclamastis? conclamastis. Papistas vestro iudicio admodum abjectos, attritos, & odio habitos rursus crexisse se se, & ovantes in altum caput levasse non intonastis? intonastis. Belluam cornigeram, vel si mavultis, Romanum Antichristum (homines facetos! ne in vobis quidem una mica salis) celsitudinem solii sui arctius firmavisse; & Synodos œcumenicas, priscos Patres, Ecclesiæ Traditiones illustriores triumphos peperisse; & cumulatius propagatam fuisse Imaginum venerationem, & fidem Synaxis Sacro-Sanctissimæ; & clausuram Monialium, Clericorum celibatum multò plus asservatum iri non protulistis? protulistis. Benè habet. At mihi iterum sciscitanti parcite, cum scopum, quo collimabam, non satis attigerim. Priusquam Robertus in vos calamum acuisset, forsitan jam adversus vestrum Lutherum, & illius nefarios Ministros non scripserant in Angliæ Cardinalis Reginaldus Polus, Joannes Fischerus Præsul Rossen-

tam

Non allo-
quor de uni-
verso Christia-
nissimo Gal-
lia Regno, sed
de illis Gallis
tempore Bel-
larmini Calot-
niana luc infes-
tis.

sis ; Stephanus Gardinerus magnus Regni Cancellarius tā
 natalium splendore , quā doctrina conspicui ? scripserant. In
 Germania jam quoque non scripserant Cardinalis Joannes Gro-
 perus contra Bucerum , Fredericus Nausca Episcopus Viennen-
 sis contra Zuinglium , Joannes Cochlaeus Doctor Norimber-
 gz contra Melancthonem , viri in omni genere scientiarum
 versatissimi ? scripserant. Non etiam in Gallia scripserant adversus
 vestrum Joannem Calvinum Claudius Sanctesius Antistes Ebroi-
 censis, adversus Bezam Comes Claudius Espenczus, adversus Eco-
 lampadium Iodocus Clictoveus Carnutensis Ecclesiae Canonicus
 literis graecis , & latinis apprime eruditi ? scripserant. Quid ve-
 rò nostra de Hispania ? Non jam debellarant ante Bellarminum
 Petrus Soto Petrum Martyrem , Brentium Alfonsus Salmeron,
 Vega , Medina , & alii Hispani Theologi consummatissimi ?
 debellarant. Quid de Belgio ? Quid de Polonia ? Quid de Lu-
 sitania ? Bullingerum Joannes Driedo Belga non profligarat , &
 Carlostadium Stanislaus Hofius Polonus , & Martinum Kemni-
 tium Jacobus Payva Lusitanus ? profligarat. Eccur igitur , me-
 dius fidius , à vobis percursis tot Catholicis voluminibus exul-
 tatis , risistis , sibilatis ? At contra libris Bellarmini attentè per-
 volutis confestim receptui cecinistis , vasa collegistis , & tam-
 quam perditis , & victi recessistis ? Sed jam video interrogando
 istac nimum fungum me prodidisse, quando quidem optimi Rhe-
 toris fore muneris semper putavi ante oculos habere Tullium
 scribentem : *ut enim necesse est lancem in libra deprimi ponderi-
 bus impositis , sic animum quamvis opiniosum , & pugnacem per spi-
 cuis cedere.* Nam si multorum improbitate depressa veritas emer-
 sit aliquando , & innocentiae defensio interclusa reapse respira-
 vit , tunc omni procul dubio contigit , cum tua locupletissima
 Scripta , ROBERTE POLITIANE , ad gelidas Septen-
 trionis Plagas penetrarunt. Seu enim veritas , uti Cicero edo-
 euit , *sit quiddam quod sua vi nos alliciat ad se se non emolumento
 captans aliquo , sed trahens sua dignitate ;* sive , Aristotele consen-
 tiente , *sit notio communis quae habet fidem à se ipsa ;* vel ut Philoso-
 pho Sallustio placuit , *validum axioma , quod omnes homines verum
 esse fatentur ;* omnino asserendum est , & firmitè tenendum tam
 singula ingenuae , & simplicis veritatis munia obiisse , & illius
 omneis partes complevisse tuos luculentissimos libros , ut ve-
 luti nova luce , novisque luminibus derepente circumsepti ho-
 mines occæcati , & refractarii inter rectum , & pravum , verum
inter

inter, & falsum judicare facile potuerint, ea etenim vis veritatis est, judice Cicerone, quæ per se ipsam se satis defendit contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, & contra fictas omnium insidias. Videres plurimum Catholicorum eruditæ lucubrationibus Hæreticos perperam obijcere barbariam, obscuritatem, imperitiam. Audires alteros tumidiores inurbanè vociferantes multa Nostratum Opera dictionibus fulciri truncatis, fucatis sententiis, sputiis Codicibus. Cerneres alios impudentiores effutire fermè omnium Papistarum Scripta commentis scaterere, mendaciis, proccacitatibus, dieteriis, calumniis. At è regione tuis libris, nescio qua fortunata sorte, volitantibus hac illac, & diligenter ab Hæreticis excussis, cum omnia plana, aperta, ac obvia essent, compedibus veritatis arctè irretiti illi neque ausi musitare, neque quicquam hiscere, perditæ conticuerunt. Sed hic, ut quisque intelligit, jam mea properat oratio. Idcirco maxime vereor, ne, tuos immortales libros laudando pro dignitate, me ex tuis virtutibus aliquid decerpisse quispiam autumat, aut in te nullas prorsus fuisse nimis suspiciosus arbitretur. Quippe cum solummodo beare homines queant ea quæ egerunt sanctissimè, non quæ tantum catholicè exararunt, illa de industria præterire, in his omne tempus terere, aut laudatoris est supinitatis indicium, aut prædicandi Herois virtutum inopiæ argumentum. Hanc ob rem quamquam prælagiens ventos discupio soluto fune à terra paululum recedere, & in alto navigare. Volo tamen, ut si quis me videat tractantem inconcinnè illustria, sublimia humiliter, ampla tenuiter, & ex innumerabilibus, quæ ad dicendum suppetunt, plurima prætermittentem, benigne cogitet neque posse quenquam in tam ubere materia omnia prosequi, neque ea quæ satis per se splendida, & magnifica sunt, ornatu verborum indigere. Ac primum quidem, EMINENTISSIME PRINCEPS, quod mox mihi succurrit est illa mollis, & infirma pueritia, cui & communi hominum consuetudine, & quadam prope ipsius naturæ tacita lege major quadam licentia tribui solet. Verùm tu jam inde à principio respuens voluptatum blandimenta, quibus ætas illa plerumque etiam sine reprehensione capitur, quamprimum arduum, & directum ad virtutem iter ingressus es tanto robore, & virium contentione, ut nunquam ab eo, quod tibi æquissime proposueras, curriculo fallaces illecebræ avocare potuerint. Quoniam cum tu ab ipso incipientis ætatis exordio illam virtutis pulchritudinem, quam Pla-

to, si cerneretur, mirabiles sui amores excitaturam esse dicebat, non corporeis sub quos illa non cadit, sed animi oculis inspexisset, desiderio ejus incensus, res humanas, & fluxas, dum eo, quo institueras, pervenires, pro nihilo esse putandas prudenter duxisti. Qua de re cognati, cives, amici ex tua indole continentia, & illa herbescentis adhuc seque paulatim exserentis ingenii facilitate, solerter augurabantur magnas aliquando virtutis, & sapientia fruges exituras. Quam spem me hercle non fefellisti, etenim paululum jam viribus confirmatus, ut plane liber ab omnibus impedimentis, iter destinatum expeditius posses conficere, solitariam vitam amplexus decimo octavo anno ætatis tuæ in eam nomen dedisti Societatem, quæ ex quo primùm instituta est, perpetuum quoddam inexhaustæ fecunditatis seminarium hominum & doctrina, & virtute præstantium fuit. Ita, ut est in proverbio, in portu navigans talem orsus es tenere vitæ rationem; qualem non modo natu minores, & æquales, sed ipsi seniores habere vellent, quibus cum esses exemplum innocentia, frugalitatis, obedientia, integritatis, mirum est quantum plerique profecerint cum in despiciatū rerum caducarum, tum in cœlestium contemplatione. Hinc tu callens summopere animum nostrum ad similitudinem divinitatis effectum tanto esse perfectiorem, quanto proprius ad illud, ex quo ductus est, exemplar accedere, non dubitasti in ea versari omnium præstantissima facultate, quæ, quo ad ejus fieri potest, cum humanis divina copulando, mortalitatem nostram, quantum illius patitur imbecillitas, naturæ divinæ arctissimæ colligatione devincit. Sic brevi humanioribus literis perpolitum, linguarum peritia cultum, & incredibili apparatu potissimum tractationum Theologicarum imbutum te inauguravit Sacerdotem Cornelius Jansenius Episcopus Gandavenfis cognitus ubique gentium sua *concordia Evangeliorum*. Hoc loco quilibet judicaret animum tuum amore ineluctatum solitudinis, meditationum frequentia, & superna beatitate, nec ultra prosilire, nec amplius prætervolare curaturum. Verumtamen tu quem non fugiebat quantulamcunque cognitionem, quam nulla consequeretur actio; quodammodo mancam esse, jam jam exire in solem, & pulverem ex illo domestico, & umbratili vitæ genere magnifice existimasti, ut præclara illa semina, quæ accuratè foveras, auxeras, alueras, postremò sapientum hominum dignos expectatione copiosos afferrent fructus. Itaque è Societate primus sacram doctrinam Lo-

vanii docuisti tanta Juvenum frequentia, tantâ nominis celebritate, ut non raro dubitarim, utrum in Flandria edocendo prorensiore palmam reportaveris, quam ipse Parisiis tulit Joannes Maldonatus ejusdem Sodalitii Presbyter, qui ne multitudinem Auditorum præfocaretur, in foro palam differere persæpeto. Unum tamen affirmare valde asseveranter quæo Italiam sanctè invidiam hunc thesaurum opulentissimum Lovaniensibus quam citissime fuisse suffuratam, sin furtum dicenda est ea res quæ in domini potestatem licet invite iterum remigrat. Igitur ad Romam æternam urbem, ut eam veteres vocaverunt, vel ut Athenæus, epitomen totius orbis tu accersitus, primùm Romani Collegii Rector electus, dein Provinciæ Neapolitanæ Præpositus constitutus, ita, retento antiquo vitæ instituto, rationem temporis dispertisti, ut partem pietatis operibus consuetis, partem domesticis negotiis, partem officiis amicorum, & quod fidem exsuperare videtur, partem, eamque præcipuam, divinarum artium studiis concesseris diligentèr. An fuit genus ullum molestiarum, & laborum, quod tu vel pro nova structura Collegiorum, vel pro publicarum ædificatione Scholarum, vel pro constructione Xenodochiorum, vel pro ipsius Romanæ Ecclesiæ labante securitate non dieo declinares, cum convenienter posses, sed non alacriter subires, non fortiter, non jucunde? Fortasse te tenuit ullum incommodum, ullum periculum, æstas, frigus, viarum asperitas, corporis infirmitas quominus mandatis Superiorum obtemperans, omnia quæcumque velent, non subito inchoasses, non impiger ageres, non sedulus conficeres, & gnavus, & vigilans, & attentus? O rem amni prædicatione majorem! nullæ porro nullæ fortunæ vicissitudines, nulla discrimina, nulli eventus tuam prudentiam eludere, tuam diligentiam retardare, tuam justitiam flectere, tuam fidem imminuere, tuam constantiam labefactare quidem poterunt. Ideo ex tanto circumsonantium virtutum choro, si quid sapio, conicio exacutum Clementem Octavum Pontificem sagacissimum, & optimum æqui bonique æstimatorem, in Romam invitavisse te Cardinalitia purpura decorandum. Venisti, vidisti, at non vicisti. Quamvis siquidem mœrore confectus, & lacrymarum imbre madefactus multoties significasset te tanto imparem oneri ferundo Cardinalatus insignia meritò reformidate; Clemens nihilo secius nullis precibus emol-

lius

litus tuam voluntatem anathemate religavit utens hocce elo-
 gio: hunc eligimus, quia non habet parem Ecclesia Dei quo ad
 doctrinam, & quia est nepos optimi, & sanctissimi Pontificis. Nec
 his contentus adhuc Aldobrandinus suopte ingenio munifi-
 cus te Archipræsulem Capuanum ordinavit sacro acclaman-
 te Collegio: dignus dignè. Ergo Bellarmine, propera, festi-
 na, & quem moderandum gregem Romæ suscepisti, modò
 exemplo, modò doctrina pascito Capuæ, quam Vulturus
 fluvius interfavit; ast scias oportet à suo latere te abire nun-
 quam Pontificem permissurum. At inquis, bene est; Cla-
 vicularius Beatissimus, quo ad libuerit, claudat, aperiat: at-
 tamen, ut ut sit, ego sponte infulis Capuanis vale dico, cum
 quemlibet vigilem Pastorem sanè dedecet præsentem non ha-
 bere oves, quas, ne per abrupta, & invia incedant, debet
 baculus coercere, aut obliquis relictis anfractibus, & mæan-
 dris tortuosis amor ducere per planitiem. Hæc tu. Et hæc ip-
 samet post Clementis obitum Paulo Quinto ad supremum
 apostolicum culmen evecto impavidè respondisti. Hinc unus
 tuam in aspernaadis dignitatibus modestiam prædicabat, il-
 lic alter in consiliis ferendis gravitatem, hinc ille in comita-
 tu, ornatu, cultu parsimoniam, illinc alius in Ecclesiasticæ
 tuendis juribus libertatis diligentiam, ita ut vel in ore vulgi
 tunc temporis illud versaretur, dexteram Bellarmini Ecclesiam
 Christi prope sustinere, quemadmodum antiquitus de hu-
 meris Atlantis Regis Mauritanix sinxerunt Poëtæ. Paccatis in
 Gallia rebus, omnique factione dissipata Henricus Quartus
 super quibusdam bonis Ecclesiæ restituendis, & canonibus
 Synodi Tridentinæ promulgandis Romano consulit oraculo.
 Res erat alterutrinque laboris plena, non expertis periculi, quo-
 niam male feriati homines in speciem religionis adhuc clam-
 allatrabant sanctæ vindictæ cupidi, sanguinis, & rapinæ. Quid
 vero Pontifex respondet? Quid? Bellarminus primitus qua-
 rendus est, atque audiendus. Luculentæ, ac ingeniosæ Con-
 cordiæ viri clarissimi Patris Ludovici Molinæ in Hispania se
 opponit gravissima Thomistarum Schola, quæ altè conque-
 ritur Pelagianismum olere novam Ludovici opinionem. His
 vocibus quasi quibusdam ignitis facibus humanis accensis pec-
 totibus, itum est ad arma, causaque properè Romam devec-
 ta. Quid Pontifex? Quid? Bellarminus primo accedat, & suum
 in medium iudicium adducat. Venetiis Scipionem Canonicum
 Vicen-

Vicentinum, & Brandolinum Narvesiæ Abbatem in publicos carceres, nulla Ecclesiastici status habita ratione, Senatus detrudit. Decreta veneta ocys Romæ rescinduntur, & universam Rempubicam ecclesiastico interdicto ligatum iri jubetur, nisi resipiscat. Tùm Franciæ Rex ne inter amicorum voces contententium in utramque aurem dormire videretur, per Cardinalem Perroñium suum in Urbe Oratorem Curiam Romanam urget, rogatque ut in temporibus tam difficilibus se gerat uti prudens medicus, qui ex male affectis corporibus solet vitiosos humores tantùm paulatim abducere, nè hominem, quem oprat sanare, occidat, si semel universos voluerit exhaurire. Quid Pontifex? Quid? Bellarminus veniat, & in adeò molesto negotio quid sentiat trutinetur. Hæc & alia generis ejusdem, PRÆSTANTISSIME PURPURATE, affatim recenserem, nisi immensâ mole oratio succresceret. Nam quem exitum dicendi invenissem, si ea quæ de tuis immortalibus gestis in articulo de *clarioribus Ecclesiæ Collectoribus* tradidit Petrus Annatus, exscriberem, dolarem, expolirem? Quis autem fieri potuisset, ut vadium tentaretur, si scribendo rebus vellem mordicus immorari, quas Alfonsi Ciaconii præpropera morte sublatis vulgarunt Continuatores? Quomodo verò vela contraherem, si per singulas vitæ tuæ cursus spatiarer actiones, & sancta facta, quæ studiosè procudit, & traduxit in librum de *Cemeteriis Sacris* Henricus Spondanus? ut reliquos præteream tuarum virtutum præcones, & Philippum Alegambe in *Bibliotheca Scriptorum Societatis*; & Ludovicum Muratorium in suis *reflexionibus super bono gustu artium, & scientiarum*; & Ignatium Gravesonium in tomo tertio *Historiæ Ecclesiasticæ*, & alios quorum non est otii mei texere catalogum. Quapropter jam è tabula manum subducturus, solummodo dicere queo Bellarminum præsagum vicinæ mortis, & meritis, quam annis longè cumulatiorem, à conspectu hominum, & laudum in domo Probationis se se abdidisse. Ubi altiora æternæ providentiæ consilia, & opera sedulo cogitando, stramentis recubans, jejuniis extenuatus, flagellis consumptus, inter suorum preces, & lamenta, (si Suetonii in Julio Cæsare licet verba usurpare,) sua morte defunctus est.

Cui eximio viro cœlestes honores tribuere, & cultum publicum decernere, tuum plane est, maximeque proprium religionis, & observantiæ in illum tuæ, qui nunc summam

imperii tenes, **BENEDICTE**. Tu scilicet in tuis doctissimis libris de *Sanctorum Beatificatione* semel, & iterum editis, pro causis hujuscemodi tutó, & feliciter expediendis apertissimam viam, & methodum commonstrasti. Tu illustria Bellarmini cognitæ sanctimonix, & rerum cum prudenter, tum sapienter gestarum congerere monumenta præcepisti. Tu ejusdem causam in Sacra Rituum Congregatione ponderandam admodum diligenter, perfecteque sanxisti. Tu anno proxime elapso coram venerabilibus fratribus Cardinalibus, pro ea qua gaudes singulari pietate, ingenua fide, & perpetua ad famam Christiani nominis amplificandam sollicitudine, judicium aperuisti. Quid jam ergo restat, ut quantocyus perficias quæ omnibus sunt explorata, & ab omnibus bonis concupita? Eja age **BEATISSIME PATER**, & natalem Roberti diem Ecclesiæ fastis actutum adscribe. O diem ter quaterque felicem! O beatam horam! O punctum temporis auspiciatissimum! Ita hoc facto ad æternitatem propagato ingens Christiano Orbi decus accedet, ingens amplissimo Collegio Cardinalium, ingens famigeratissimæ Societati Jesu, & ingens denique meis votis accedet solamen, novusque stimulus iugi lectioni Roberti lucubrationum; ut Posteris deinceps intelligant ad hæc illi devovendas Theses non tam Bellarminum me impulisse, quam ipsamet litteraria Opera Bellarmini.

SCRIBEBAM KALENDIS APRILIS ANNI DOMINI MDCC LIV.

PRO MATUTINO CERTAMINE.

I.

VIDIMUS anno proxime elapso Christum Dominum post mortem tertia die ad vitam propria virtute rediisse. Audivimus quoque illum soli Petro dixisse: pasce oves meas. Nunc restat dumtaxat, ut ea quidem trutinemus verba, quibus idem noster Salvator jam jam ab oculis hominum subducendus suos Discipulos liberalissimè instruxit, uti tradit D. Mathæus in cap. 28: euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Plures gravissimi Interpretes voluere Apostolus visam esse sub ipsis Ecclesia crepundis non sine Spiritus Sancti afflatu aliam solemnem baptizandi formulam instituisse longe ab ea distinctam, quam jam pridem Christus præceperat, conceptam. hocce modo: ego te baptizo in nomine Jesu Christi. Verumtamen cum validitatis baptismi in nomine Christi opinionem Venerabilis Bellarminus appellet incommodam, errore facti inniti asserat Augustinus Calmet, ut parum tutam, & improbabilem explodendam fore autemet Guilielmus Estius, quin nobis terriculamentum oggerant testimonia Sanctorum Basilii, Ambrosii, Hilarii, Bernardi ab Adversariis præpostere allegata, jure meritoque dicemus: numquam Apostolos reapse aliquem initiavisse baptismo collato in nomine Christi tantum, ac idcirco ad baptismi validitatem semper fuisse necessariam trium divinarum Personarum explicitam invocationem.

II.

VEhementem disceptationem, qua tertio properante sæculo propter rebaptizandos hereticos S. Cyprianum inter, & Pontificem Stephanum maximopere exarsit, vix, imo ne vix, ignorare poterunt qui solùm primis labris Ecclesie Annales aliquando degustarant. Hinc nemini per videbitur mirum Cyprianum in epistola 73 affirmasse Stephanum decrevisse legitimum esse baptismum collatum in nomine solius Christi. Heretici, qui semel ad occasionem maledicendi nanciscuntur, rancis latratibus ærem non desinunt verberare; sæpe clamant infallibilitatem Pontificiam penitus pessum ivisse hoc Stephani factum à Sancto Cypriano validè reprehendo, Antistite vere doctissimo, ac piissimo. Nos vero, etsi aliis bene multis auctoritas Carthaginensis Episcopi difficultatem facessit, candidè confitemur laculentis probationibus Patris Natalis Alexandri satis superque præcidi hunc nodum, ac propterea à quoquam posse propugnari, nec S. Cyprianum Pontificis sensa fuisse affectum, nec Stephanum decrevisse validum esse baptismum in Christi nomine solummodo ministratum,

III.

AD eò autem ad æternam obtinendam beatitudinem baptismus est necessarius collatus in explicita Divinarum Personarum Invocatione, ut etiam pueruli non baptizati ex hac vita migrantes visionis carentia intuitiva Dei puniantur in sempiternum, ajente D. Joanne in cap. 3: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Ille celebris sua clade Hieronymus Savanarola Pueros miserando quandam commentus est beatitudinem naturalem in cognitione Dei sitam, & illius dilectione. Qui tam vividis coloribus, & verbis phaleratis, erat etenim eloquentissimus Concionator, beatitudinem illorum depingit, atque exaggerat, ut multos in suam deinceps sententiam traxerit asserentes post diem judicii in terra Infantes esse habituros, Angelorum contubernio mirificè recreandos. Verùm si ante horunce oculos ea obversarentur verba Tertulliani, id esse Dominicum, & verum quod sit prius traditum, id autem extraneum, & falsum, quod sit posterius immissum; conticio quod in aliam sententiam trent, nec unquam M. P. Augustini nervoso systemati vale dicerent. Nos vero qui in tanta dispari judicandi libertate rem tangimus non satis eliquatam, imo multa caligine circumfussam, quid faciemus? deserendus ne Augustinus? Fulgentius destituendus? parvi faciendi Patres Concilii Carthaginensis? Profecto nec deserendus primus, nec alter destituendus, nec postremi parvi faciendi. Hanc ob causam cum Principe dogmaticæ Theologia singularissimo Viro Patre Dionysio Petavio tuebimur, juxta Sacram Scripturam, Concilia, majorem partem Sanctorum Patrum, & præsertim Sancti Augustini, Puerulos decedentes sine baptismo in inferno aliqua poena ignis, licet levissima, fore plectendos

PRO VESPERTINO CERTAMINE

IV.

POSQUAM Christus Dominus per quadraginta dies in terris versatus est ; Discipulos tandem suos deduxit ad montem Oliveti , in cuius vertice bene illis precatus, Angelorum Myriadibus propemodum infinitis stipatus, non ut Elias raptus currū igneo, non ut Abacuc per aëra alienā potentia perductus, sed sua propria divina virtute in altum sublatus circa boram meridiei in Cœlum ascendit. At Apostoli Hierosolymam reversi, ingressi sunt in Cœnaculum, ubi, faustissimo accedente die Pentecostes, factō repente de Cœlo sono tanquam advenientis Spiritus vehementis, apparuerunt illis dispersitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum. Aliqui moderni viri eruditi opinantur linguas illas veluti igneas non fuisse dispersitas eo quod super capita Apostolorum ita visa fuerint; sed quia in proprio ore divinitus apparuerant sicut igneæ, & uti dissectæ, ut ita bacce secuti formâ linguarum designaretur concessa illis polyglottia. At contra sentiunt affatim instructi quarumcumque studio Versionum Interpretes doctiores, quibus cum poterimus affirmare non in ore aperto, atque hianti Apostolorum, sed super illorum capita igneas linguas apparuisse surgentes in acumen figura pyramidali, infernè tamen in unam quasi radicem coalescentes.

V.

EO inoerecundia devenit Theodorus Beza, ut contendat Spiritum Sanctum in die Pentecostes solum in Apostolos fuisse illapsum, exclusis reliquis discipulis, sanctis foeminis, & ipsa Beata Virgine MARIA: indeque pro suo nativo pruritu calumniandi eos flocci pendit Pictores, jugillat, ac carpit, qui (inquit hæreticus Calvinista) cum hanc pingunt historiam, solent Mariam matrem Domini in medio Apostolorum collocare, nimirum ut eam Collegii Apostolici Reginam faciant. Ast petulantissimi hominis maledicentiam reprimerè impræsentiarum nostra non interest, satis siquidem illius audaciam frangunt tum verba cap. 2. Actuum Apostolorum; & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, tum vaticinium Prophetæ Joëlis, in c. 2: & quidem super servos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt. Igitur tantummodo nostrilaboris est Cardinalis Cajetani sententiam ponderare propheta scribentis Virginem Mariam, & reliquas pias mulieres, quæ erant in Cœnaculo congregata, nullimodo recepisse polyglottiam, seu donum linguarum. Haud diffiteor acutissimum Purpuratum non ficulneis ad hoc firmandum rationibus adniti. Sed contrariam suadentibus Scriptoribus Critices defecata, lubet illis assentiri assentibus, Virginem Deipatam, & reliquas pias mulieres congregatas in Cœnaculo, præter aliorum cœlestium donorum copiam, quoque linguarum fuisse præditas intelligentiâ.

VI.

INter foeminas in quas Spiritus Sanctus effusus est, numerandam fore Mariam Magdalenam tam certum est, quam quod magis. Utrum vero hæc Maria Magdalena, quam supponimus fuisse eam quæ olim caput Christi Domini recumbentis unguento delinovit, distincta sit à Maria quæ dicta fuit in civitate peccatrix, vel ab altera quam Evangelistæ Lazari, ac Marthæ sororem fuisse scribunt, prope à principio nascentis Ecclesie semper fuit celebris altercatio cum Græcis, tum Latinis Patronis nobilitata. Qui unam dumtaxat Mariam Magdalenam constituunt, assertores dant potissimum Tertullianum, Hieronymum, Gregorium, Bedam, Bernardum, & plures modernos Commentatores. Qui tres Marias distinguunt, laudant pro se ipsis Origenem, Chrysostomum, Irenæum, Ambrosium, Theophilaetum, & alios nimium recentes, uti Fabrum, Turrianum, Zegerum, Salmeronem, Baillet, Mauconduit, Calmet, & Tillemontium. Nos nec unicam, nec tres Marias admittentes, aliam cum nunquam abundè laudando Patre Daniele Papebrochio præstabimus hujus litis conciliandæ rationem. Quæ de causa in præpatulo ponemus. Mariam Magdalenam ante conversionem foeminam libidinofam, ut volunt plures, vel ut aliis arridet, foeminam plus æquo intentam comis calamistrandis lasciviendi gratia, prorsus esse diversam ab illa religiosissima muliere Maria Marthæ, & Lazari sorore, quæ in Bethania latifundia ditissima possidebat.

DISPUTABUNTUR.

Die 6. mensis Maii anni Domini 1754.

Manè hora 8. Vesperè hora 3.



17.313624